



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-628658-p0001-1

DFG



89.
De
**HYPOTHESESIBUS
ASTRONOMORUM**

DISSERTATIO;

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO ILLVENTUTIS PRINCIPE,
DN. FRIDERICO GUILIELMO,
ELECTORAT. BRANDENB. HEREDE,
&c. &c. &c.

PRÆSIDE
DOMINO
JOHANNE SPERLETTE,
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PUBL. ORDIN.

publico Eruditorum examini
Ad d. 17. Augusti A. M. DC. XCVII.
sistet

AUTOR
Christianus Gottfried Schöning
Stargard. Pom. SS. Theol. Stud.

HALÆ MAGDEB. Literis CHR. HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

VIRIS de Ecclesia & Republica optime meritis,

Magnifico Reverendissimo

Dn. JOHANNI FISCHERO,

SS. Theol. Doctori, Consistorii Regii Præsidi, Academiæ Dorpatensis
Pro-Cancellario, & Livoniæ Superintendenti Generali.

Generosissimo Præstrenuo

Dn. GEORGIO de WRANGEL,

Summo Legionis Sopianæ vigiliarum Præfecto &c.

Generosissimo Strenuo

Dn. MICHAELI de SEGEBADEN,

Status per Livoniam Secretario.

Clarissimis Excellentissimis,

Dn. MICHAELI DAUE,

Eloq. & Poës. in Dorpatensi Academia Professori Publ. Ord.

Dn. M. JOHANNI UPPENDORFF,

Regii quod Rigæ floret Lycei Rectori.

Nec non

Viris Prudentissimis Amplissimis,

Dn. HENRICO Jhnken /

Dn. JOHANNI König /

Collegii civium majoris apud Rigenses Senioribus.

Dn. JOHANNI Optenöhl /

Dn. JOHANNI MAGNO Holsten /

Dn. JOHANNI FRIDERICO Optenöhl /


Rei mercatoriae experientissimis.

Dominis Patronis, Mecenatibus, Hospiti, Præceptoribus, Evergetis, omni pietate, observantia etatem colendis,
prosequendis,

*Exercitationem hanc, cum fato omnis beatitudinis, cœu grati animi tesseram
dicat*

A. R.





§. I.



Undamentis opus esse

ædificium exstructuro nemo ignorat.
In Disciplinis tradendis itidem quæ-
renda esse, quæ substernantur, apud E-
ruditos est quam notissimum. Diu-
tissime duratura ut ponant funda-
menta, suum esse putant Architecti.

Pari cura Philosophi, quibus fidere posse credunt, seligunt
placita. Feliores quidem hi, quibus circa subli-
miora versari datum est, cum illis inter tigna lapidesque sit
sudandum. Nec tamen felicissimi; illis enim materias sele-
tas sub varia sensuum examina vocare, & multorum seculo-
rum edocetis experientiâ argumenta apodictica non auribus
sed oculis subjicere licet: cum his aut rationibus plerumque
saltim probabilibus, aut experimentis ad summum analogis,
Hypotheses suæ quoquemodo sint fulciendæ. Non fir-
mo plerasque stare talo, diversæ diversorum, eæque se invi-
cem destruentes testantur sententiæ. Omnes recensendo
percurrere hujus nec loci est nec instituti. Præcipuas sal-
tim Astronomorum Hypotheses, quas illi phænomenorum
& causas & modos ex iis deducaturi pro veris supposuere,
adducemus. Nobis quidem, B. Lectris judicio omnia sub-
jecturis, præcipua partium adduxisse argumenta, & quæ pla-
cita vero sint simillima, monuisse, sufficiet.

Faxit Deus feliciter!

A 2

§. II.

§. II. Antiquiores fere omnes sidera motu suo circumferentia describere credidere, credunt & plerique recentiorum. De centro ergo motus quarebatur. Plurimi priscorum Terram pro eo habebant, pauci Solem. Proximorum seculorum Astronomi magno numero in alterutram ivere sententiam. Nec tamen intra duas dissensus stetit sententias. Varii variorum Planetarum motus variarum Hypothesium supponendarum occasionem praebuere.

§. III. Prima est, quam dicunt Platonicam, Aristotelis, Eudoxo, Calippo, aliisque probata. Terra illis est centrum universi, circa quam primo Lunæ, dein Solis, hinc Mercurii, Veneris (quam Porphyrius cum sociis ante Mercurium locat) Martis, Jovis, tandemque Saturni concentricos describunt circulos.

§. IV. Altera, cui Ptolomæus, altero post Christum natum seculo floruit ille Alexandriæ, nomen dedit, ordine Planetarum à priore differt. Post Lunam enim ille, id quod & superioribus jam seculis Pythagoræ, Archimedi aliisque placuerat, Mercurium, hinc Venerem, postea Solem, reliquos Planetas eodem quo Plato ordine collocabat.

§. V. Utriusque Hypotheseos Assertores octavæ demum sphæræ stellas fixas tribuebant, quam Aristoteles (alii vero post eum nonum demum orbem ἀναγον, stellas fixas enim non fixas esse mutatus locus docebat) circa immotum universi centrum Terram intra 24. horarum spatium (quidam certis intelligentiis ministris id fieri credebant) raptam, per vices sidera nunc supra Horizontem elevata nobis ostendere, nunc mersa subducere; Planetarum interim orbes, eadem violentia motu hoc diurno circumlatos, contrario nisi ubi occasu in ortum inæquali celeritate repere, statuebat; quos quidem orbes Veteres pellucidos & crystalli instar duros, sibi que invicem, ut oculorum tunicae, involutos, stellam quemque suam (quas crassiores Sphærarum harum partes esse putabant) clavì instar sibi infixam tenere, existimabant. Antiquissimum tamen an ea fuerit sententia, sunt qui dubitant inter re-

cen-

centiores. P. Scheinerus certè Ptolomæum nunquam solidos ejusmodi vel Cyclos vel Epicyclos agnoscisse, sed superiorum seculorum barbariem hanc sententiam, quam Arabes ex Ptolomæo male intellecto hauserant, in scholas intulisse evincere (evincant id, quibus per tempus & supellectilem literariam licet) nititur.

§. VI. Sequitur Systema Ægyptiacum. Proxima circa Terram loca cum Platonicis & Ptolomaicis elementis adscribabant; hæc Luna, Solis (circa verò Solem Mercurii & Veneris inæquales, ob inæqualem motum, Epicyclos ponebant) Martis, Jovis, Saturni & denique stellarum fixarum orbis excipiebant. Subscripsere ei Vitruvius, Martianus Capella, Macrobius, Beda & Argolus, qui tamen & Terræ motum vertiginis tribuit.

§. VII. Ingeniosissimam omnium Nicolaus Copernicus, Thoruniensis, licet non invenerit, Philolaus enim Pythagorus & Aristarchus Samius jami multa ante secula eam fove- runt, renovavit tamen & plurimis fulcivit argumentis. Ocu- lus ille mundi Sol est illi centrum, Terra vero in Planetarum numero. Motus ille, quem primum dicunt, illi nullus est, diurna Terræ vertigine admirando compendio eam com- pensante. Mercurius Soli proximus intra 87. dies, Venus ali- quanto remotior intra 9. mensium spatium suos circa Solem absolvunt circulos. Terra per integrum annum per Zodiaci signa ad Ecclipticæ ductum defertur. Unde nobis hujus motus signaris Terra in Libra versante, Sol in Ariete existere vide- tur. Ita Terra in Scorpio, Sagittario, Capricorno, Aquario &c. existente; Sol Taurum, Geminos, Cancrum, Leonem, Vir- ginem &c. successisse creditur. Hoc tamen in motu axis Terræ perpetuò axi Æquatoris parallelâ permanet, neglectis Ecclipticæ polis, in quos Terræ poli nunquam incident. Unde dies noctesque non semper æquales, & tempestatum vicis- tudo. Denique ex ejus mente per vix sensibilem aliquam axeos Terræ librationem, qua puncta æquinoctialia paulatim in antecedentia signa retrahantur, stellarum fixarum in conse-

quentia motus ratione optica salvari potest. Terræ Lunam satellitis loco adjungit, circa quam hæc quidem menstruo spatio cuyclum suum conficiat, ita tamen, ut simul cum Terra annuo ductu per Zodiacum promoveatur. Martis tandem, Jovis, Saturnique circulos circa Solem ultimos collocat, fixis ratione Solis immotis manentibus.

§. VIII. Scripturæ sacræ hæc Hypothesis credebatur adversari. Multi hinc cum sacri codicis aliquot dictis eam conciliari posse diffisi, plures Sedis Romanæ territi decretis, eam deferebant, avide alioquin amplexuri. Nec tamen vulgaris illa Ptolomaicorum Hypothesis omnibus phænomenis commode deducendis, nec, quæ Copernicani objiciebant, diluendis, sufficiebat. Quare non pauci Astronomorum de utroque incommodo tollendo erant solliciti, inter quos Tycho de Brahe, Danorum ille Atlas, sedulus Astrorum per quinq; lustra Observator, novam orbi eruditio dedit Hypothesin.

§. IX. Tollit ille solidas Peripateticorum, cum solidis Epicyclis, sphæras, & sideribus fluidum reddit ætherem, Terræ tamen cum iis quietem tribuit. Primum saltim motum pro vero, secundum pro apparente habet. Avium enim in aëre volantium & piscium in aquis natantium instar sidera per ætherem 24. horis circa centrum suum Terram voluta, quo sint ei propiora, eo magis vi Terræ magnetica retardari, & hinc retrogressa videri; cumque non perfectos circulos, sed helices tantum motu suo describant, obliquo ductu secundum Zodiaci signa retracta apparere. Retardationem hanc Planetarum, Luna ex omnium, Jove & Saturno ob satellites ex Riccioli mente exceptis, Solem pro centro quasi agnoscere (unde & nunc infra nunc supra Solem, interdum Terræ propiores, sæpe remotiores esse videantur) statuit.

§. X. Longomentano aliisque tot helices per ætherem ducere non placuit. Motus tamen Terræ per Ecclipticam non videbatur cum Copernico concedendus. Ex utroque ergo quæ maxime arridebant electis: Cum Tychone Terram pro centro assumebant, motum ejus vertiginis ab oriente in occi-

occidentem cum Copernico pro vero agnoscebant, annum vero per Ecclipticam Soli relinquebant; reliquis Planetis eosdem circulos, quos Tychonici ex Helicum retardatione deducunt, motu proprio vel circa Solem vel Terram descriptibus.

§. XI. Præcipua hæc sunt Astronomorum placita. Per nos quidem sibi quisque, quod maxime placet, eligat, vix enim quodnam præcipue, quoad omnes numeros certum, sit amplectendum, apparet. Facilius quæ in devia ducat semita, quam quæ inter reliquas ad regiam tendat viam, videt viator; Ita quæ manifesto fallat Hypothesis minori comprehendimus negotio, quam cui præ cœteris sit tuto fidendum. Quid tamen quæque commodi aut incommodi habeat, quæ plane falsa, quæ vero magis minusve probabilis, breviter subjugemus.

§. XII. Mercurium supra Solis sphæram falso à Platonisponi, ipse Mercurius 24. Octobris præsentis anni puncti instar in orbe Solis per telescopia observandus, ostendet. Simile Veneris Phænomenon jam anno 1639 observatum, nec eam ab his recte locatam esse docet.

§. XIII. Communi utriusque Hypotheseos errore Ptolemaicos Veneris & Mercurii circulos circa Terram (& hos quidem perpetuo infra Solem) describere, ex successivis utriusque Planetæ incrementis recentiores feliciter demonstrant.

§. XIV. Concidunt ergo Epicycli, quorum beneficio utriusque Planetæ anomalies excusare voluerunt, nisi Solem pro centro eorum agnoscant.

§. XV. Ita vero solidæ illæ sphæræ veterum per se evanescunt, Solis circulis Veneris Mercuriique Epicyclis intersectis.

§. XVI. Unde Ægyptiacum systema hos quidem melius, Martem vero minus recte perpetuo supra Solem collocat, quem recentiores, Tycho in primis, in *Perigæo* ipso Sole Terræ propiorem, in *Apogæo* remotiorem, observarunt.

§. XVII.



§. XVII. Hinc non male colligitur, superiores juxta ac inferiores Planetas in liquido natare quasi æthere ; & Epicyclos Mercurii, Veneris & Martis, si vel maxime qui sint agnoscendi, non circa imaginarium aliquot *Concentrici* vel *Eccentrici* punctum, sed Solem esse describendos.

§. XVIII. Crystallinos eos veterum contiguos círculos nil nisi vanum Astronomorum fuisse figmentum, recentiores fere omnes & opticis & physicis vieti rationibus fatentur. Desinunt ergo & Planetæ orbibus affigi, continuâ circa propria centra vertigine, quam Soli vix quisquam, cæteris Planetis, Lunam sensuum excipit evidentia , quidam saltim tribuere dubitant, id alioquin non permisura.

§. XIX. Planetarum minorum anomaliz maximum Antiquis faces sive negotium, (quanquam & Solis Lunæque phænomena eos satis exercuerint) Epicyclos ergo addebant Eccentricis, ut apparentes *Retrogradationes*, *Stationes*, *Directiones*que salvare possent, in quibus talem siderum fingeant motum, qualem phænomena postulare videbantur, de causis : cur (1) Saturnus , Jupiter & Mars in *oppositione*, cum Terram inter se & Solem habent retrogradi, (2) in *conjunctione* Sole medium occupante *directi*, (3) intermedio tempore *stationarii* appareant ? Item cur (4) Saturni *Retrogradationes* frequentiores quam Jovis, & hujus quam Martis dentur ? (5) Cur Saturni arcus *Retrogradationis* minor sit quam Jovis, & hujus quam Martis ? (6) Cur Saturnus diutius Jove, & hic Marte maneat retrogradus ? parum solicii ; contenti diverso in diversis Epicyclis motui ea tribuisse.

§. XX. Expunctis quidem variis his tum solidis tum imaginariis per fluidum ætherem cyclis, astronomice parum, physicè nihil valituris ; Summus ille Astronomus Tycho de Brahe unicum saltim, ut superius jam dictum est, substituit motum, cuius variaz pro varia stellarum altitudine retardationi, proxime a causa suprema pendenti, cum suis hæc phænomena tribuit.

§. XXI. At innumeræ helices, taceo ne sic quidem causas

LVX .

fas phænomenorum patere, hinc orituræ (quas modo laxiores modo angustiores, ob inæqualia, post æqualia temporum intervalla, Planetarum a Terra distantiaæ incrementa, admittas oportet) nimium, non cerebrum tantum, sed & ipsum cœlum turbaturæ; &, si non plane harmoniam siderum sublaturæ, plurimis tamen anomaliis, alias ne concedendis quidem, locum daturæ, ex multorum Astronomorum mente videntur.

§. XXII. Magni ergo Viri dantur, qui contrariam, Copernici scilicet, amplecti malunt Hypothesin. Sola enim illa, Planetis æquabili in Concentricis vel Eccentricis motu concessso, helicibusque remotis, & majorum & minorum Planetarum præcipua phænomena ex opticis deducere valet rationibus.

§. XXIII. Inæqualis, ut appareat, Solis per Ecclipticam, v. Fig. I. motus, juxta Hypothesin commode (sunt tamen qui per motum ellipticum rem confici posse putant) ita demonstratur: Solis locus est in *a*, circulus annui orbis motū eccentricus *dfcd* centrum suum habet in *b*; unde, orbe in *c* existente, Sol Libram occupare, & in *d* progresso jam ad initium *Arietis* processisse, & ita dimidium Zodiacum peragrasse, videtur; quare, cum arcus *cd* semicirculo sit minor & hujus ad 180. gradus complementum alteri *dfc* accedat, facile apparet, licet annuus telluris motus omnino sit æqualis, non posse tamen non apparere inæqualem; Unde simul ratio, Solis in *Perigæo* e propioris in *Apogæo* f remotioris, pendet. Eodem modo, modo Eccentricus circa Terram describatur, Lunæ anomaliae excusantur.

§. XXIV. Possunt tamen & hæc phænomena per Epicyclos vel Eccentricos Ptolomaicorum salvari, minus vero Retrogradationes, Directiones, Stationesque superiorum Planeta- rum, quoad omnes quidem numeros, Copernicana Hypothe- si felicem subministrante demonstrationem.

§. XXV. Cur (i) superiores 3. Planetæ, in oppositione, Fig. II. cum Sole, sint retrogradi? ostendit Figura II. Oculus cum

B

Ter-

Terra in α constitutus, cum Planetam b non videat ex ejus cycli centro c , eum ad stellas fixas in d refert; Terra interim ab α ad e progrediente, Planeta ad d paulatim ad f in *antecedentia* retrocedere videtur, motu ejus proprio per arcum $b-g$ non tanto obtarditatem existente, qui id impedire possit.

§. XXVI. (2) In *conjunctione* cum Sole, inde videntur directi: Planetam in b volutum ex α visum in Zodiaco ad i referimus; Terra sensim ad e tendente, jam ad k in *consequentia* promotus creditur, cum tamen, arcum $b-l$ saltim conficerit; ut ita, si ex proprio centro c visus esset, motu vero multo minorem arcum, scilicet $m-n$, absoluisse deprehenderetur.

§. XXVII. (3) Tempore intermedio sunt *stationarii*: Dum enim Terra ab e ad o , Planeta proprio circa Solem motu a p ad q tendit; Observator ergo ad idem Zodiaci punctum r Planetam ex e & o refert, & ita deceptus, Stellam eundem locum ad tempus servare existimat, eo semper æquabilem motum servante.

§. XXVIII. (4) *Retrogradationum* Saturni frequentiorum, Jovis rariorum, Martis rarissimarum, evidentissima dari v. Fig. III. potest ratio. Ex motu enim proprio Planetarum hæc pendunt. Fingamus, Terra in α versante, Saturnum b in antecedentia maxime retrocedere cœpisse, post annum, Terra in punctum a redeunte, Saturnus jam ad c processit; idem ergo *oppositionis* aspectus, adeoque citatissima *retrogradatio*, non prius contingit, quam Terra in d sit delata; Cumque Saturnus intra 30. annos circulum suum absolvat, idemque aspectus, post annum Terræ motum absolutum, in puncto d demum redeat, liquet: arcum $b-e$ & huic similem $a-d$ trigesimalia circuli parte aliquanto majorem esse, atque ita fere dimidio, post annum absolutum, mense Terram in punctum d devenire, ibique eandem Saturni incipere *retrogradacionem*.

§. XXIX. Jupiter in e ex g præcipue retrogradus visus, anno circulo $g-h-i-l-a-d-g$ à Terra absoluto, jam motu proprio arcum $e-f$, duodecimam prope cycli sui partem, confecit, per

per similem ergo huic arcum gh , & aliquanto ulterius, Terra prius moveatur oportet, quam Jovem, ultra f progressum, post se relinquere possit; cui arcui, ceu duodecimæ cycli sui parti, duodecimam anni sui partem, i. e. mensem, impendat est necesse.

§. XXX. Mars intra biennium cursum suum absolvit. Quod si ergo in k versantem ex j vidisses retrogradum, post annum te in idem punctum i reverso, ille semicirculo knm confecto in m existeret; post dimidium annum te in l delato, ille jam ad o processit; nec, nisi ab l ad punctum j cum Terra post semestre spatium promotus (interea enim Mars quadrantem sui circuli e k confecit) videbis retrogradientem; ut ita circulus Terræ bis, Martis semel, i. e. biennium, sit ante absolvendus, quam idem Martis redeat phænonemnon.

§. XXXI. Arcus *Retrogradationis* rationem habent altitu- v . Fig. IV. dinis Planetæ. Saturnum in a existentem oculus in Terræ circulo b constitutus refert in Zodiaco ad c ; &, dum Terra ab ad e promovetur, stella per $4 \frac{1}{2}$ menses a c ad f per 6 gradus videtur retrogradi, longa à Terra distantia majorem angulum (ut ex rationibus opticis patet) non admittente, & motus proprii ne s quidem graduum arcu ad *Retrogradationem* nullatenus impediente.

§. XXXII. Observantium oculis per arcum lb cum Terra promotis, Jupiter per 4 menses, tantum enim temporis Terra intra arcum lb moratur (unde, patebit inferius) à k ad i 10 gradibus in antecedentia retrocedere videtur. Motus proprius à g ad h citior quidem est quam Saturni, ad 10 enim conficit gradus, quia tamen Jupiter Terræ longe propior est Saturno, nec dum quo minus optice recedat c. s. o., obstat. Cumque o , punctum intersectionis radiorum b & lk , Terræ proprius sit quam p , nec tamen arcus lb multo minor sit quam be , ultro, arcum ki majorem esse quam ef , sequitur.

Quæ omnia ex ipsa figuræ inspectione patere possunt atten-
denti.

§.XXXIII. Cur denique Martis arcus, qui 13 habet gradus, sit maximus, ex jam dictis perse notum est, ex iisdem enim causis, ex quibus præcedentia, hoc fluit phænomenon ; nec est cur quis cogitet, arcum proprii motus *n*m, qui 40. prope graduum est (per duos enim & dimidium mensem est retrogradus) impedimento fore ; compensat enim hoc propinquitas ejus, ut nihilominus annui Orbis motus ignaris, Terra in arcus / versante, aq ad r sensim retrahi videatur. &c.

§. XXXIV. Restat, ut ostendatur : unde altiores Plane-
tæ diutius minus altis maneant retrogradi. Quo altiores sunt, eo & tardiores esse Planetas, novere omnes ; quanto ergo citior stellæ motus est per arcum *e ab lb g e*, tanto citius motui Orbis per arcum *e o* ratione Zodiaci æqualis esse incipit, & hinc Planeta eo prius retrogradus esse definit &c. Quæ omnia, si figuræ justæ magnitudinis darentur, accurate de-
monstrari possent, sed relinquamus aliis.

§. XXXV. Dantur præterea non contemnenda ratio-
nes, non tamen omnes paris ponderis, quibus Copernicus cum suis nixus, Hypothesin hanc orbi commendare conatus est, & conantur hodie ; quarum epitomen ex Clarissimi Stur-
mii Scientia Cosmica addemus.

(1) *Solem & fixas, igneæ quippe substantia, ad motum ineptas, Terram contra ad hanc vertiginem aptissimam esse, suadente id cumpri-
mis multivaria ipsius convenientia cum Planetis, de quorum unius
alteriusve simili vertigine hodie constat.*

(2) *Verosimilius Terram, quæ Solis luce & calore, & que ac reliqua
opaca mundi corpora, indiget, partes suas, & que ac ista reliqua, Soli
&c. successive obvertere, quam tot immensa corpora, tantilli globi ergo,
incomprehensibili raptu circumferri.*

(3) *Stellis quippe fixis, ex minima Tychoonis hypothesi, uno oculi ni-
etu plus quam 800. milliaria germ. decurrentia esse : Terræ contra pun-
ctis singulis ad summum 250 passus.*

(4) *Cometarum, utpote corporum rarorum instar nubium atque ad*

tan-

tantos raptus ineptorum, motus duplices & varios, stante Terra explicari non posse.

(5) Nec venti intra Tropicos perpetui & æquabilis causam reddi.

(6) Nec fluxum & refluxum maris commodius & clarior quam e Terræ motæ hypothesi demonstrari.

§. XXXVI. Duo argumentorum, quæ contra hanc Hypothesin, præcipue motum vertiginis, afferuntur, sunt genera; quædam ab absurdis inde secuturis, quædam ex scriptura sacra, sunt petita. Illa in primis, vel a vulgo, vel eruditis quidem, sed Physices & Astronomiæ non adeo peritis; hæc vero & a Viris, sententiam hanc, si cum sacro codice stare posset, non impugnaturis, maxime urgentur.

§. XXXVII. Prioris generis sunt sequentia.

(1) Nubes avesque semper ab ortu in occasum moveri visum iri.

(2) Ventum orientalem perpetuo flaturum.

(3) Ædificia omnia collapsura, & corpora terrestria cælum versus excussum iri.

(4) Globum tormento orientem versus explosum, non ante, sed post tormentum, prolapsurum.

(5) In occidentem explosum, justo longius projectum iri.

(6) Lapidem e turri delapsum non posse ad turris radicem procidere, sive ex orientali sive occidentali plaga dimittatur.

(7) Ita circulum annum Terræ, saltim punctationem ad fixarum circulum habiturum.

§. XXXVIII. Respondent Copernicanū.

(1) Atmosphæram Terræ eam, & quilibet vertiginis motu volutam, per tenuissimum ætherem sequi. Hinc pleraque quæ objecta sint corruere. Neque enim corpuscula muscarum, intra alveum natis volitantium, ab ortu in occasum retrocedere, vel lapidem in orientem projectum post motus sui principium occasum versus prolapsurum, navigio, quanta posset maxima velocitate, in orientem ruente.

(2) Ut a Specie ad Genus, ita nec a motu corporum terrestrium ad omnem motum, esse argumentandum. Omne enim motum eorum fieri circa Terræ, ceu gravitatis suæ centrum

trum, mutato situ; cum contra Terræ centrum, & vertiginis & annum sequendo motum, eundem partium servet situm. Immo; Terram moveri, ne plebejo quidem sensu jure dici posse, cum omnis motus vulgo, vel in longitudinem aut latitudinem, vel altitudinem aut profunditatem, fieri creditur; quorum neutrum, nisi ad certum gravitatis centrum respiciamus, de motu praedicari possit; Unde nec vertiginis nec annum Terræ motum (cum Terra, ut totum spectata, nullum extra se gravitatis centrum agnoscat) eodem, quo vulgo, sensu motum esse dicendum.

3. Aliam esse rationem motus per crassum, qui Terram circumfundit, aërem, alias vero ejus, qui per purissimum contingit ætherem.

4. Tum æqualitatem motus, tum, ratione molis globi, tarditatem, quo minus vertigo ejus motusque annuus, si id alias esset metuendum, in sensu cadat, impedituram. Hæc generatim ad omnia.

5. Ad secundum vero speciatim regerunt: Omnino ventum orientalem intra Tropicos fere perpetuum observari, aëre non adeo exakte vertiginem sequente; quod vero ad polos non idem observetur, inde fieri, quia motus vertiginis, ob circulos sensim decrescentes, prope polos sensim debilitetur.

6. Ad septimum: Non magnam quidem, aliquam tamen esse proportionem, ex crescente fixarum diametro constare assiduis Observatoribus; omnia tamen accuratius examinari posse, nisi radii Solis impedimento forent. Possent plura in utramque sententiam afferri; Sed cum ipsi hujus Hypotheseos Adversarii ea facile dilui posse fateantur, ad graviora descendamus.

§. XXXVIII. Alterius generis argumenta ex scripturæ dictis sunt deducta. Primarius fere locus est Ps. XIX. v. 5. 6. 7. Verba in vernacula versione ita habent: Er hat der Sonnen eine Hütte in denselben gemacht. Und dieselbe geht heraus wie ein Bräutigam aus seiner Kammer/ und freuet sich wie ein Held

Held zu lauffen den Weg. Sie gehet auf an einem Ende des Himmels / und lauft umb bis wider an daselbe Ende / und bleibt nichts fur ihrer Hitze verborgen. Unde colligunt: Soli, non Terræ, motum diurnum esse tribuendum. Respondent quidem plerique Copernicanorum : Spiritum S. ut alias, ita & hoc aliisque locis, stylum ad captum vulgi, rem alioquin non capturi, accommodare. Sed, quanquam factendum sit, spiritum S. saepius, in sublimioribus praesertim rebus describendis, verbis, humanæ imbecillitati accommodatis, uti ; nec tamen hic, ut concedatur, est necesse, verbis hebraicis limitatiorem sensum, quam versio vernacula prima fronte videretur paritura, admittentibus:

Soli posuit tentorium in iis (cœlis). Ille similis est sponso exenti ex Throno suo , fortis instar letatur currere viam suam. Intermino cœlorum est locus ejus exitus, & revolutio ejus ad terminos eorum pertingit ; ut ita nihil sit absconditum a calore ejus. Accentuum enim ratio & nativus verborum ordo , ut vox יְנֵצָה ad sponsum referatur , requirunt. Versu septimo, primo loco קָצָה in singulari posteriori in plurali numero poni, observari meritur. מִנְצָא saepius locum, unde quid exeat, notat, v.2. Chron. XXXII, 30. Job. XXVIII, 1. Es. LVIII, 11. Ps. CVII, 33. Es. XLI, 18. &c. Præcipue huc trahi potest ex Ezechielis capite XLIV, v. 5. ub portæ sanctuarii, unde exibat ingressi, dicuntur מִנְצָא הַמִּקְדָּשׁ. מִקְדָּשׁ interdum non incommode in fine redditur, nec semper respectum termini a quo & ad quem infert. v. Jof. XV. v. 1. 2. Sam. XXIV, v. 8. 2. Reg. VIII, 3. &c. Sensus ergo proprius verborum juxta hypothesin Copernicanam ita servaretur : Soli in cœlis tentorium, certum locum intra quem moretur, centrum vorticis ejus, posuit, splendido sponso, ex throno nuptiali egredienti, perpetuo similis est ; fortis instar viam vertiginis, æquabili motu currere, Planetas hoc ipso ad motum stimulaturus, enfortem ! paratus est. In termino cœlorum, centro sui systematis, est (quidem) locus ejus exitus, unde radii ejus quasi per januas ejus globi, vid. Ezech. XLIV, 5. egrediuntur, revolutio tamen ejus, motus

tus vertiginis, ad terminos eorum, Systematis Solis, influendo, illustrando vitamque Planetis largiendo, pertingit; ut ita nihil vivum ejus calorem, in sphæris Planetarum, vi vertiginis Solis partes suas successive ejus radiis obvertentium, lateat &c. Facilius ita: quid נָהָרַת קְוִיפָה hic notet, quam secundum alias Hypotheses, patescit. Neque enim prius ad momram infra Horizontem trahere conabuntur Adversarii, foret enim hoc ad captum rudis plebis dictum, quæ Solem noctu Terra tectum quiescere credit; neque commode de Zodiaco exponere possunt, Sole nunquam intra eum subsistente. Taceo, majus esse illud spatum, quod Sol helicibus suis peragrare creditur, quam quod tentorium dici possit. קְוִיפָה (v. 2. Chron. XXIV, 23. Exod. XXXIV, 22. 1. Sam. I, 20.) comodius de motu vertiginis quam Elliptico, non perfecte in orbem redeunte, intelligitur. Patet ita ratio, unde eadem vox קְצָה prius in singulari posita, dein in plurali numero repetatur. Quod si vero & ortus atque occasus verbis מָזֵן & תְּקִוָּה significaretur, posset tamen eorum significatio & que passiva ac activa esse, ut ex inferius dicendis apparebit.

§. XXXIX. Alter quem afferunt locus est Josuæ X. versus 12, 13, 14. Ubi cum Sol per miraculum substituisse dicatur, jure ei motum diurnum tribui existimant. Sed salva res est; verba enim fontis, versione vernacula duriusculle sonante, non adversantur Copernico. Sol Gibeoni (גִּבֹּעַן) sole, radiis tuis in ea permane, loquela tuam v. Ps. XIX, 3. i. e. motum vertiginis, omnibus Planetis jussa quasi dantem, inhibe, Luna in (supra) valle Ajalon maneat. Siluit (שִׁלְוֵה) ergo Sol, ferventem vertiginis motum sufflaminavit, Job. XXX, 27. i. Sam. XIV, 9. Jon. I, 12; vi connata cæteros Planetas concitare desit, Thren. II, 18. c. III, 49. Ps. XXXVII, 7. Ps. XXXV, 15. Lunaque, alias circa Terram vere movenda, immota stetit, motus sui principio Sole influxum inhibente. Permansit itaq; Sol. (Ps. XXXIII, 11. Ps. CXI, 3. Ps. CXII, 3. 9. Hag. II, 6. Es. X, 32. Dan. I, 4.) desit in gyrum duci. Reg. XIII, 18. in medio cœlorum, supra Horizontem

con-



conspicuorū, nec urgebat, v. Exodi V, 13. Jer. XVII, 16. (motu ver-
tiginis causam secundam, ut motu suo ab occasu in ortum ejus
regionis incolis suos radios subduceret, concitando) occasum;
vel, festinandi servata significatione, nec festinus occumbebat, Ré-
gis instar Terram occasum accelerare vetabat, Exod. X, 16. ut so-
lebat die perfetto. Frustra: ita non Solem sed Terram fuisse allo-
quendam, objicitur. Sol enim Principium motus Planeta-
rum agnoscitur, quo quiescente vertigo Orbis per se cessat,
quin potius, salva Hypothesi Ptolomaica, Josua primum eo-
rum mobile stare jussisset.

§. XL. Ex Eccles. I, 4. 5. non probant quod volunt, ver-
su enim quarto, verbo מִצְרַי Terra saltē perdurare dici,
vel Tyro videt, & ipsa versio vernacula loquitur. Versus
vero quintus, si fontem ut dignum est sequaris, non repu-
gnat Copernici Hypothesi. Voces enim סָרֵח & בָּשָׂר non
idem, quod aufgehen & untergehen Germanorum, sensu gram-
matico inferunt, sed saltim de Sole ex Hemisphærio inferiore,
prompto & sub idem condito adhibentur; ut ita neque Soli
neque Terræ causa ortus occasusve eorum emphasi tribua-
tur. Ultimorum verò verborum neque nativa significatio
neque accentus, quem vernacula habet, sensum admittit;
Sakeph enim in מִקְדָּשׁ & Merca in פְּנֵי obvii, hunc sensum
requirunt: *Ad locum suum, plagam ubi emergit, reductus, anhe-
lans* (per crassorem enim aërem sub exortum visus, ob aërem
tremulum anhelare quasi videtur) *exoritur ibi.* Qui versus
sexti partem ad Solem referunt, male illi conjungunt disjun-
genda.

§. XXXXI. Pergunt opponere ex 2. Reg. XX. versum
9. & 10, & huic parallelum locum Es. XXXVIII. 7. 8. Priore in
loco umbra saltim retrocessisse, posteriore verò ipse quidem
Sol, sed, quod in primis observandum, per gradus tantum
Horologii, reversus esse dicitur. Neutrum alterutram Hy-
pothesin vel confirmat vel destruit, & umbra reverti & radii
Solis, confer Exod. XVI, 21. Neh. VII, 3. retrahi potuerunt
in Horologio, causa mirandi ejus phænomeni vel ex Solis
C. motu

motu diurno, secundum Tychonicam, vel vertigine Terræ,
juxta Copernicanam Hypothesin, pendente. &c.

§. XLII. Terram tamen immotam esse probari credunt
Ex. Ps. CIV, 5. Ps. XCIII, 1. 1. Chron. XVI, 30. aliisque locis.
Quod si vero conferamus Ps. XVII, 5. Ps. XXXVIII, 17. Ps.
XCIV, 18. Deut. XXXII, 35. ubi pedes gressusque, Levit. XXV,
35. &c. ubi manus vacillare dicuntur, quibus nemo sanus
motum omnem negabit; facile deprehendimus: verbum
מִזְרָח non quævis motum, sed violentum, noxiū, & ali-
quid imbecillitatis secum trahentem, notare. Immo Esaias
c. XXIV, 19. quid sit **מִזְרָח**, non sine emphasi ostendit,
qualem si quis Terræ tribueret motum, illi demum hæc dicta
forent opponenda.

§. XLIII. Sol tamen Gen. XIX, 23. Jud. V, 31. Es. XIII,
10. & alibi exire dicitur? Sed respondetur: Quanquam ver-
bum **אֵצֶל** plerumque *exiit* reddi possit, non tamen sensu
grammatico idem est, sed generatim adhibetur, quando quid,
quod prius erat occultatum, in conspectum producitur, aut
eminet (v. 2. Sam. XX, 8. Neh. III, 25. 26. 27.) sive proprio sive
alieno hoc fiat motu.

§. XLIV. Qui Psalmi LXXIV, versum 16 afferunt, ver-
sionem, non fontem, qui nihil habet quod pugnet contra Co-
pernici sententiam, sequuntur.

§. XLV. Denique, cum vel maxime spiritus S. eadem,
quibus vulgus in crassioribus significandis conceptibus uti-
tur, res abstrusiores descripturus, adhibet verba; non tamen
statim ad captum plebis eum loqui dicamus, sed potius, verba
in sublimiore, quam a vulgo, sensu a sapientissimo Oratore
sæpius sumi fateamur: conf. Ps. LXXXII, 5. Ps. CIV, 5. Es.
XLVIII, 13. Es. LI, 13. Prov. VIII, 25. 27. Job. XXXVIII, 4. 5. 6. 8.
10. 13. &c.

§. XLVI. Mixtam Longomontani æque felicibus,
ac Copernicana, fulcitam demonstrationibus, parisque pro-
babilitatis argumentis commendatam, quæ tamen non ex-
spectanda esse videntur, huic anteponere non dubitabimus.

§. XLVII.

§. XLVII. Possent quidem aliqua : quî Hypothesis
Copernicana multa mysteria adumbret, & varia loca scriptu-
ræ illustret, subnecti, sed supersedemus hac vice , aliis, peni-
tius naturæ & scripturæ harmoniam pernoscentibus, ea reli-
cturi. Sol ille justitiaz Jesus Christus, corda nostra gratiæ
sux radiis collustrata ductum suum sequi & vitam fidei susci-
pere jubeat, ut circa amoris divini voluti centrum , a tenebris
liberati, ejus in luce & charitatis candore vivamus, donec in
pristinum restituti splendorem, non ex errore solum, sed
& errandi periculo exempti, Solis instar fulgeamus!

Fiat!

COROLLARIA.

I.

Feliciter quidem aliqui machinæ, aëri tranando a-
ptæ, structuram in charta demonstrarunt , nun-
quam vero exhibebunt.

II.

Quod si tamen ejusmodi darentur navigia , vana
tamen eorum spes , qui iis ad Lunam penetrari posse
confidere, decollaret.

III.

Nec sub ipso Æquatore, si ad *anep̄ēav* mathematicam
exquiras, dies sunt æquales.

IV.

Sub Polo Arctico Sol diutius, quam sub Antarcticō,
cernitur.

V.

Sol quo Terræ propior, eo remissior, quo remotior,
eo intensior ejus calor in nostris regionibus existit.

VI.

Iridem jam ante diluvium fuisse ut concedamus

C 2

prin-

principia optica requirunt, nec textus Hebræus Gen.
IX, 13. 14. 15. id negat.

VII.

Quicunque Horologiis nostris fidunt, semidiame-
trum Terræ ad Solis distantiam non attendendam habe-
re rationem, concedant oportet.

VIII.

Unde Sol nondum exortus interdum jam videa-
tur, vel puerο demonstrari potest.

IX.

Quoties arbores camposque virentes conspici-
mus, toties certa admirandæ Dei nostri & sapientiæ &
providentiæ, animantium oculis, à Sole non lœdendis,
consulturæ, habemus testimonia.

X.

Ater color radios lucis absorbet & contrahit, al-
bus dispergit; unde ille spirituum contractorum i. e. tri-
stitiæ, hic expansorum i.e. lætitiae, est symbolum v. Job. V.
II. Malachiæ III, 14. Eccles. IX. 8. Apoc. VII, 13. &c.

XI.

Cum maxima Lunæ pars illuminata est, vulgus eam
plane obscuratam, cum minima, totam illuminatam
credit.

XII.

Eclipses Solis, Lunæ & Terræ semper simul con-
tingunt.

XIII.

Ut nobis Luna, sic Selenitis, si qui essent, Terra
crescere videretur.

XIV.

Dies iis quaterdecies longior esset quam nobis; si-
milis noctis foret ratio.

XV.

XV.

Si Terræ figura Elliptica esset, aut ad polos profecturi per montem quasi ascenderent, aut & centrum foret ellipticum; quorum cum prius contra experientiam sit, nec posterius vero simile deprehendatur, merito id negatur.

XVI.

Si quis extra Atmosphærā certi Planetæ existeret, in æthere, ponderibus suis libratus, pendulus hæreret.

XVII.

Nulla ætas ad Matheſeos ſtudium eſt inepta, modo iuſta cuique tradatur methodo.

XVIII.

Quales nos per microſcopia, tales contemtiffima vermium genera oculis suis res minutias deprehendunt.

XIX.

Nec ipsi Copernicani iisdem cum vulgo phrasibus uti dubitant, alioquin aliis, forte & ſibi ipſis, Barbari futuri.

PRÆSES

Ad

D. Respondentem, Disputationis
Auctorem.

TUam ego Disputationem, Clariſſime Domine, eo majori cum voluptate perlegi, quod ex eâ, inter tot variorum Astronomorum de-


C 3

Mun-

Mundo nostro adspectabili Systemata, Tibi præ ceteris Copernicanum arridere cognoverim. Omnes quæ contra hanc Hypothesem fieri solent difficultates non minus solidè, quàm graphicè enucleasti, neque Te, quæ plebem indoctam frustrà licet terre-re solent dubia, quicquam terrue-runt. Id unum à Te voluissem, ut vocatis in subsidium Cartesianis vor-ticibus, sine quibus ne Copernicea quidem de Magnis hujus Mundi par-tibus conjectura, satis firmiter sibi constare mihi videtur, materiam hanc fusius extendisses, atque illu-strasses. Verùm id præstare poteris, si tibi aliquando hac de re iterum di-sputandi animus fuerit. Interim va-le; ac tuis fruere studiis.

Emendanda.

§. 7. l. 24. pro cuyclum lege cyclum. §. 10. l. 1. lege Longo-montano. §. 17. l. 4. pro aliquot lege aliquod. §. 34. l. 4. pro eablbge lege hlbgpq. §. 38. l. 27. pro ubl. ubi.








Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-628658-p0028-1

DFG





DO A 6301



VO 17

Retro ✓





Farbkarte #13



41.

38

89.
De

HYPOTHESESIBUS ASTRONOMORUM DISSERTATIO;

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO IUVVENTUTIS PRINCIPE,
DN. FRIDERICO GVILIELMO,
ELECTORAT. BRANDENB. HEREDE,
&c. &c. &c.

PRÆSIDE
DOMINO
JOHANNE SPERLETTE,
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PUBL. ORDIN.

publico Eruditorum examini
Ad d. 17. Augusti A. M. DC. XCVII.
sistet

AUTOR
Christianus Gottfried Schöning
Stargard. Pom. SS. Theol. Stud.

HALÆ MAGDEB. Literis CHR. HENCKELII, ACAD. TYPOGR.